

citas, non potuerunt non maximæ turbæ in Ecclesiâ **DEI**
 exoriri. Surgens enim *Macedonius*, novandiqve incensus
 prurigine, hanc Spiritûs S. divinitatem in dubium vocare,
 ac penitus inficiari non erubuit. Vide *Socratem Lib. II. Hist.*
Eccl. c. XLV. *Sozomenum Hist. Eccl. Lib. IV. c. XXVII.* *Epipha-*
nium Hæres. LXXIV. atqve alios. Ille itaqve unâ cum suis
 asseclis ejusmodi Spiritum S. insignivit nominibus, quæ ab
 orthodoxâ fide omninò abeunt. Jam enim πνευματομάχοις
 (ita scilicet vocari meruerant,) ἐνέγχεα τῷ Θεῷ, jam *Creatura*
Dei, jam *famulus seu Minister Dei* audiebat Spiritus S. cum
 tamen ejus sit cum *Patre & Filio una divinitas, æqualis glo-*
ria, & coeterna Majestas. (*Symbol. Athanas.*) Non pote-
 rant itaqve orthodoxi Patres, quin huic pestilentissimæ Hæ-
 resi totis sese viribus opponerent. Convenerunt eam ob
 causam Constantinopoli, ibidemqve Theodosii Imperato-
 ris jussu Anno P. C. N. 381. celebrârunt Concilium, Hæresis
 hanc Macedonianam damnantes, Symboloqve Niceno in-
 ferentes hæc verba: *Credendum esse in Spiritum S. Domi-*
num, & vivificantem, qui ex Patre procedat, qui cum Patre
simul adoretur & conglorificetur. Nec desunt tamen ho-
 diè, qui Macedonianorum prementes vestigia minùs rectè
 de Spiritu S. sentiunt, quòs certè noster Textus heterodo-
 xiæ atqve falsitatis palam convincet. Deprehendebat *Paul-*
lus Ephesi discipulos quosdam, qui *an sit Spiritus S. ne qui-*
dem audiverant. *Act. XIX. 2.* Illi equidem suam testati sunt
 ignorantiam, at verò si quis esset adeò impius, ut etiam Spi-
 ritûs S. existentiam deliberato consilio vellet in dubium
 vocare, næ is in Textu nostro reperiret id, quod eum ad me-
 liorem mentem posset reducere. Spiritus enim Domini
 (quem Spiritum S. esse superius demonstravimus,) à Saule
 recessit. Jam autem: *Quic. ab aliquo dicitur recedere, is*
 omninò existit, aliàs quippe hoc de eo pronuciari non pos-
 set